





4700

37

1726, 16

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE

# PACTO ANTICHRETICO,

QVAM,

IN PERANTIQVA ERFFVRTENSI,  
VNIVERSITATIS RECTORE MAGNIFICO,  
ATQVE PRO - CANCELLARIO,

REVERENDISSIMO ET PER - ILLVSTRI DOMINO,

DOMINO

## CHRISTOPHORO IGNATIO DE GVDENVS,

EPISCOPO ANEMORIENSI,

EMINENTISS. ARCHIEPISCOPI, ET PRINC. ELECT. MOGVNT. IN PONTIFICALI  
BVS VICARIO GENERALI, CONSIL. ECCLES. SIGILLIFERO ET SVFFRAGANEO  
ERFORDIENSI, J. V. D. INSIGN. ECCLES. COLLEG. AD S. SEVER. CAN.  
CAPIT. ET SCHOLASTICO, ET REL.

INDVLTV ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICÆ,

SVB PRÆSIDIO

### DN. CONRADI WILH. *Streders* J. V. D.

JVD. ELECT. PROVINC. ASSESSORIS, PROF. PVBL. ET SENAT. ERFFVRT.

### PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE IURE HONORES ATQVE PRIVI-  
LEGIA RITE LEGITIMEQVE CAPESSENDI,

DIE II. DECEMBRIS M DCC XXVI.

IN AVLA IVRID. COLLEG. MAJORIS, HORIS CONSVETIS,  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIT

## JOHANNES DAVID POERNER,

*Annemont. Mistr.*

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

sti-  
X.  
cu-  
C.  
que  
non  
s in  
on-  
de  
33-  
po-  
lita



DISSECTATIO IN ANATOMIA SIVE IN VINDICIA

PARTO  
ANATOMICO

IN HANNOVERIAE UNIVERSITATE  
MEDICINAE FACULTATE

CHRISTOPHORO IGNAPIO  
CANDIDATO

IN HANNOVERIAE UNIVERSITATE  
MEDICINAE FACULTATE  
PUBLICAE ANATOMIAE

DR. CONRADI WILHELMI

PROFESSORIS  
P. R. O. L. I. C. E. N. S. I. S.

JOHANNES DAVID POEHLER

ANNO 1711





DISPVATIONIS INAVGVRALIS  
DE  
PACTO ANTICHRETICO

§. I.



E pacto antichretico tractaturo non plane pratermittenda videtur thematis onomatologia, illius intuitu axiomatis, quod potiore quidem rerum, priorem tamen verborum rationem habendam esse præcipit, præsertim cum etymologia thematis nostri ex lingua Græca repetenda sit. Denominatur nimirum pactum hocce nostrum antichreticum à Græco vocabulo *ἀντιχρησίου* quod, dum componitur ex *ἀντι* & *χρησίου*, quorum illud *contra*, hoc *usum* vel *fruitionem* denotat, nihil aliud significat quam reciprocum rei alicujus usum. Hinc ipsemet MARCIANVS JCTVS in L. II. §. I. ff. de pign. *ἀντιχρησίου* interpretatur per *mutuum pignoris usum pro credito*. Unde non exiguam Græcicæ linguæ ignorantiam prodidit bonus noster ACCYRSIVS, dum ipse ad L. II. §. I. ff. de pign. antichresin interpretatur *apocham*. *suppositionem & obligationem pignoris*, exagitatus ob id haud immerito ab

A 2

§. II.

## §. II.

Spectata etymologia, brevissimis etiam homonymia  
 consideranda nobis erit, ne ambiguum relinquamus the-  
 matis nostri significatum. Quod igitur hanc spectat, te-  
 stantur CHRISTOPH. ab HAGEN *de usu usur. c. II. n. 3.* & RAVCH-  
 BAR. *in Qu. Jur. Civ. S. Sax. qu. 20. n. 2.* veteres nonnullos JCTos  
 antichresin antiphonam appellasse, eaque voce pignoris  
 jus, quod per missionem ex primo decreto constituitur,  
 denotasse; ast hæc significatio, uti obsoleta & ab etymolo-  
 gia vocis plane aliena, ita nec hujus est loci. Porro au-  
 tem vocabulum antichresis objective & materialiter sumi-  
 tur pro ipsa re oppignorata, quâ creditor utitur fruitur, *in*  
*L. 33. verbis: ad recipiendam antichresin ff. de pignorat. act.* Et  
 tertio etiam effective sumi nonnullis videtur pro jure, quo  
 Creditor rem sibi oppignoratam in compensationem pe-  
 cuniæ suæ certo tempore possidere valet, juxta *L. 39. ff. de*  
*pignor. act.* sed errare plane videntur, qui hunc significa-  
 tum ab eo, quem vox antichresis vi etymi sui obtinet, &  
 qui antea jam explicatus solusque hujus loci est, differre  
 existimant, siquidem MODESTINO JCTO *in all. L. 29. 1.º* pos-  
 sidere pignus nihil aliud esse, quam uti frui pignore, non  
 solum ex eo, quod de possessione NB. in compensatio-  
 nem creditæ pecuniæ loquatur, manifestum redditur; (quid  
 enim ex nuda possessione lucraretur Creditor? & qui ea-  
 dem compensatio esse posset?) sed & adhuc manifestius  
 ex illis, *sub all. L. finem, verbis*, quod in casu à se proposito  
*solum pactum, ut Creditor certi temporis fructus caperet, depre-*  
*hendatur.*

## §. III.

Ad ipsam jam pragmatologiam ut accedamus, defini-  
 ri poterit pactum antichreticum, quod sit pactum contra-  
 ctui pignoris adjectum, & adeo, de ipso etiam jure civili,  
 actionem pariens, quo Creditorem inter & Debitorem con-  
 venit, ut huic uti frui liceat re oppignorata, usque dum  
 credita pecunia restituta fuerit. Dixi actionem de jure  
 etiam civili producere pactum antichreticum eo ipso quod  
 sit

fit pactum non nudum, sed contractui alicui, pignoris nimirum, adjectum. Constat enim ex jure nostro, quod pacta quadam actiones producant, quadam autem solummodo exceptiones, *L. 7. pr. de pact.* hæc pactorum nudorum, illa autem non-nudorum & vestitorum nomine veniunt.

§. IV.

Equidem *CYJACIUS*, *HOTTOMANNUS*, *CORASIVS*, *CYPR. REGNERUS* aliique, explicationis tantum gratia inventam esse hanc distinctionem putant, rectius tamen contra ipsos *HAHN.* ad *WESENB. de pact. n. 2.* *MALCOMESIUS in comment. novo ad eund. WESENB. eod. tit. §. n.* nec non *ECKOLT in Compend. Pandect. tit. de pact. §. 4.* contrarium, distinctionis nimirum gratiâ denominationes illas diversas excogitatas esse, tuerentur, utpote quæ non à *DD.* est adinventata, sed in ipsis *LL.* occurrit, e. g. *L. 15. ff. de prefer. verb. §. L. 1. C. de pact. convent.* Utut enim *LL.* civiles pactum nudum, quod in simplicibus conventionis terminis subsistit, servare haud prohibeant; Prator etiam teste *JCro in L. 7. §. 7. de pact.* pacta conventa servare intendat, actionem tamen efficacem attribuere eidem noluerunt Romani *LL.*atores. Interim obligationem naturalem ejusmodi pactum producere firmiter statuo cum *WESENB. tit. de pact. n. 9.* *STRUVIO in Synr. J. C. Exercit. VI. Th. 13.* & innumeris aliis *JCtis* contra *CONANVM in Comment. L. V.* Cæterum illi sententiæ receptissima, quod pacta nuda actionem non producant, contradicit *MESTERTIUS, de Jusit. LL. Rom. L. 1. cap. 31. edit. recent.* contendens ex pacto quocunque deliberato animo inito etiam de jure civili actionem æque ac obligationem oriri, nixus *L. 1. ff. de pact. L. 10. de O. & A. L. 16. §. 4. de fidejuss. §. L. 34. §. 1. de divo. Reg. jur.* verum, quemadmodum *1. §. ult. all. L.* plane nihil continet, quod ad probandam *MESTERTII* sententiam faciat, siquidem ex eo, quod *LL.* pacta etiam nuda servanda suadeant, imo præcipiant, non sequitur, easdem ipsis etiam tribuere vim actionem producendi, ita nec reliquæ duæ illæ *LL.* id evincunt, quod incendiur.

§. V.

Utut enim verba illa in utraque L. conformia: *Naturales obligationes non eo solo estimantur, si actio aliqua earum nomine competit; verum etiam eo, si soluta pecunia repeti non possit; primo intuitu Mastertianam sententiam insigniter confirmare videantur; responderi tamen solet: praterquam, quod nonnulli lectionem illorum textuum dubiam faciant, putantes ante verbum COMPETIT inferendam esse particulam negativam NON, distinguendum esse inter actionem nativam, immediate ex obligatione naturali descendentem, & dativam, quæ ex sola aequitate proveniat: hanc quippe, quæ ex nudo pacto promanet, nequaquam illius esse efficaciam, ut ex se & sua natura producere valeat actionem civilem, accipere tamen eandem interdum à constitutione civili extrinsecus accedente, cuius rei exemplum videre fit in pupillo, qui ob imbecillitatem ætatis sine Tutoris autoritate naturaliter tantum obligetur; quod si tamen is ipse locupletior factus fuerit ex contractu quodam, enasci actionem, non tam ex propria vi obligationis illius naturalis, quam ex constitutione D. Pii in L. 5. pr. ff. de autor. tut.*

§. VI.

Dam in definitione dictum fuit, pactum antichreticum utpote non nudum, sed vestitum, actionem in foro civili producere, insimul exinde patet, pactum hoc de jure civili esse licitum. Si quis autem putare forsitan vellet, omnia pacta, quæ pignoris contractui adjici possent, esse licita, saltem nisi quid moraliter turpe involvant, is oppidò falleretur. Dantur enim utique ejusmodi pacta illicita, quale e.g. est pactum commissorium, (quod perperam & inepte à nonnullis vocatur pactum legis commissoria, tantundem enim hoc est ac si dicerent pactum pacti commissorii, cum lex commissoria non sit lex à summa potestate lata, sed à contrahentibus ipsis sibi invicem posita, atque sic uno verbo ipsum pactum) quò conveniri solet inter Creditorem atque debitorem, ut res sit



fit commissa, h. e. Creditoris fiat, nisi debitor statuto & destinato die debitum restituat, quod prohibitum est in *L. f. C. de pact. pign. & in cap. 6. X. de pign.* & adeo utroque jure. Nec juramento tale pactum firmari imo nec consuetudine introduci posse statuunt cum TREVTLERO BACHOVIVS *Vol. 2. Disp. 1. tb. 6. lit. D.* item COVARRUVIAS *variari. resolut. L. 3. c. 2. n. 8.* Dissentit quidem FACHINEVS *Controv. L. 10. cap. 3.* ob *cap. cum contingat 28. X. de jurejur.* sed illi se opposuit PEREZ in *Præl. ad Cod. tit. de pact. pign. n. 5.* Pariter illicitum est pactum de non reluendo pignore, utpote quod manifeste tenderet in fraudem legis pactum commissorium prohibentis.

§. VII.

Nec est quod quis opponat nobis §. 12. *J. de furt. & L. 54. pr. ff. eod.* ubi Creditor utens re oppignorata furtum committere dicitur, cum id de eo solum casu intelligendum esse, quo id fit contra voluntatem Domini, tum res ipsa indicat, siquidem furtum non nisi invito Domino committi potest; tum ex superabundanti etiam colligi potest ex *L. 1. 2. & 3. C. de pign. act.* ubi quippe Imp. expresse rescribunt, Creditorem fructus ex re oppignorata utique percipere posse. Cæteroquin omnino Creditori adeo denegatur potestas re oppignorata utendi, ut & si agrum sterilem, quem debitor plane non coluerat, pignori acceperit, & ipse deinceps eum coluerit, fructusque collegerit, nihilominus eos, deductis culturæ expensis, in sortem imputare debeat, LESSIVS *de J. & J. L. 2. c. 20. dub. 16. num. 138.*

§. VIII.

Probe tamen notandum limitibus quibusdam coarctandum esse pactum nostrum antichreticum, si pro licito haberi debeat: quorsum spectat, quod, si fructus certi ex re oppignorata habeantur, illi modum usurarum à LL. præscriptum excedere haud debeant; deinde etiam illicitum est, pactum antichreticum cum agricolis egenis inire, *Nov. 32. 33. & 34.* idque eò sine ne, spoliati vitæ subsistat

diis, diffugere ex prædiis cogantur, & sic agricultura impediatur, RITTERSHVSIUS *ad Nov. part. 3. cap. 10. n. 22.* CVJACIUS *L. III. obs. 35.* Primam limitationem quod concernit, tenendum est, illam non ita rigorose esse accipiendam, quasi fructus percipiendi, etiam certi, ne tantillum quidem legitimum usurarum modum excedere possint, modicus enim excessus non est illicitus, *arg. L. 4. ff. de in integr. rest. L. 9. in fin. ff. de dolo molo, CARPZOV. P. 2. Cons. 30. def. 41. & 42. HAHN. ad Wesenb. tit. de pignor. n. 5. RAVCHB. in Qu. Jur. Civ. & Sax. P. I. qu. 20. n. 38. BACHOV. ad TREVTL. Vol. 2. Disp. 1. th. 6. lit. B.* minima quippe, ut alias, ita & hic, non curat Prator. in casu autem quo fructus à Creditore percipiendi sunt incerti sive ex toto, sive ex parte, h. c. si fieri possit, ut hoc vel illo anno nullos plane, vel satis paucos saltem & exiguos percipiat Creditor fructus, ad legitimum usurarum modum non est adstrictus, eo quod casui fortuito res subjaceat, & contingere facile possit, ut si uno forsitan alterove anno fructus percepti legitimarum usurarum modum excedant, alio tempore tantundem imo plus adhuc, infra eundem percipiat.

§. IX.

Et tale quid præsertim accidit in fruitione fundi oppignorati, siquidem quandoque, ingruente sterilitate, vix tantum percipit fructuum colonus, ut semen, necessariaeque in culturam agri factæ expensæ inde compensentur, (er bekommt kaum Art und Saamen wieder) non invidendum igitur tali Creditori, si fertilitatis tempore vicissim plus fructuum percipiat, quam qui legitimas exaquant usuras: cum & aliis in rebus eventus dubius s. lucri & damni incertitudo efficiat, ut multa subsistant & licita sint, quæ alioquin non subsisterent aut licita essent. Sic, etsi alias emtio sine re & merce nequaquam valeat, *L. 8. pr. de act. emti vend.* emtio tamen jactus rei vel aucupii valet, quamvis nondum quid captum fuerit, imo etiam si nihil plane captum fuerit. Plures ejusmodi actus, qui jure alias invalidi sunt, ob eventus tamen incertitudinem validitatem consequuntur

tur videri possunt apud CHRISTOPH. ab HAGEN *de usu usurar.* cap. XI. n. 142. & *seqq.* nec non RAVCHBAR. l. c. qu. 20. n. 18. Aliæ etiam rationes suppetunt, ob quas fructus ex fundo oppignorato percepti legitimum usurarum modum excedere possunt, quas inter ea esse potest, quod cura in agriculturam impendenda compensanda sit. Curam autem ipsi labori colendo agro impenso contradistinguo, non intelliguntur enim fructus, nisi deductis tam expensis quam mercede laboris, L. 46. ff. *de usur.* L. 36. §. *fin.* ff. *de petit. hered.* Facit etiam huc affinitas quæ pacto nostro cum contractu locationis conductionis intercedit. Sicut enim hic ipse capropter non vitatur aut rescinditur, si conductor ob largum proventum & ubertatem ultra mercedem locationis aliquid perceperit, L. 15. §. 22. §. f. §. 23. ff. *Locat.* L. 3. 16. 21. §. 26. C. *eod.* ita nec fas est in nostro pacto Creditorem ad consuetum usurarum modum adstringere.

§. X.

Quemadmodum autem extra dubitationis aleam positum est, pactum antichreticum de jure civili esse licitum, ita vicissim vix negari posse videtur, jure canonico id ipsum, generatim saltem loquendo, haud esse permissum, tum ob speciales textus in cap. 1. 2. §. 8. X. *de usur.* §. cap. 7. X. *de Jurej.* tum quod generaliter juxta illud omnes usuræ sint illicitæ. Non solum autem usuræ nomine venit pecunia pro mutuacionis officio soluta, sed etiam quæcunque aliæ res, quæ pretium habent, usura quippe est quodcunque pro usu pecuniæ rependitur. Quicquid autem hujus sit, quibusdam saltem in casibus etiam de jure canonico permissum esse pactum nostrum adstruunt CANISIUS in cap. 6. X. *de Usur.* & RITTERSHVSIVS *de differ. Jur. Civ. & Can.* cap. 7. nec à pietate & Christiana charitate illud alienum esse pluribus autoritatibus comprobat COTHMANNVS *Vol. II. Resp.* 57. n. 17. & MEVIUS in *Discuss. levam. inop. debit.* cap. 4. *Sect.* II. n. 14. Hinc etiam passim absque scrupulo est receptum, teste GAILLO *Lib. II. Obs.* III. *Consil. Altorf.* 4. MYNSING. *Cent. VI. Obs.* 71. WESENE. *Consil.* 8. ac in Gallia, Italia & tota Germania

immemoriali consuetudine approbatum, CHR. ab HAGEN l. c. cap. 11. n. 63. § 72. GRÆVEVS Lib. 11. Concl. 3. n. 3. BERLICH. P. II. Decis. 170. n. 16. § seqq.

## §. XI.

Tantum enim abest, hoc negotium nostrum in se consideratum & citra concurrentem quandoque ab usum iustitiæ aut ipsi etiam naturali æquitati contrarium existere, ut potius utrique summe consentaneum deprehendatur. Quippe licet Creditor pecuniam solummodo, rem sua natura sterilem, debitori tradat, ab illo vero vicissim rem fertilem, quæ ex se fructificat, accipiat, & sic primo intuitu contra iustitiæ, quæ æqualitatem requirit, peccare videatur, dum nimirum Creditor fructus pignoris lucreretur, & tandem pecuniam creditam item recipiat; debitor vero pecuniam creditam usu statim consumat, nullosque ejusdem fructus percipiat & tamen rei suæ commodis per multos sæpe annos carere cogatur, hoc tamen nondum evincit antichresin iustitiæ contrariari. Nam pecunia quoque, accedente industria usentis, fructum parere apta est: nec enim nudam ejus possessionem & expensam, quæ consumptioni æquiparari solet, spectare oportet: sed metiendus est pecuniæ usus ex commodo seu fructu & occasione mercium vel aliarum rerum inde comparatarum, vel in patrimonio conservatarum, quas alioquin, utut maxime etiam fructiferas, alienare necessum esset, nisi res alienum solveretur. Et sane si iustitiæ consentaneus est contractus emtionis venditionis, quo de nullus dubitat, non obstantè, quod in eo pro pecunia dominium fundi vel alterius rei fructifera transferatur, sive in perpetuum id fiat, sive cum pacto de retrovendendo; quid ni iustum quoque esset, si quis pecuniam credat ea lege, ut ipsi debitor, donec opportuno tempore sortem restituat, fundum similemve aliam rem fruendam tradat, præsertim cum aliâ necessitate adigeretur rem sibi tan frugiferam alienandi?

## §. XII.

§. XII.

Cum autem nemo plus juris in alterum transferre possit, quam ipse habet, *L. 20. pr. ff. de A. R. D. § L. 54. ff. de R. J.* patet exinde, quod, ut quis alteri jus antichreticum concedere possit, requiratur, ut ipse non solum oppignorandi rem, sed & eadem fruendi, jus habeat. Hinc Creditor licet rem sibi simpliciter oppignoratam alteri pignori dare possit, *L. 17. §. 2. ff. de pign. L. 1. § 2. C. si pignus pign. dat. si.* jus tamen antichreticum concedere nequit, nisi ipse forsitan pacto antichretico gaudeat. Condunt igitur hoc pactum inter se Creditor & Debitor, & in latiori quidem significato hic *Creditoris* vocabulum accipiendum est, ut non tantum illos, qui mutuam pecuniam dederunt, denotet, sed & alios quoscunque qui quacunque ex causa aliquid exigere possunt. Generaliter enim loquitur Imperator in *L. 17. C. de usur.* (qua una cum *L. 8. C. cod. § L. 8. ff. in quib. caus. pign. tacite contr.* primaria sedes est pacti nostri antichretici) generalia vero verba generaliter etiam sunt accipienda, *L. 1. §. 1. ff. de legat. præs.* & lege non distinguente nec nostrum est distinguere, *L. 8. ff. de publ. in rem act.* praesertim ubi nulla fontica apparet causa. Nihil igitur hic interesse putandum, siue alicui aliquid debeatur ex contractu, eoque vel vero vel quasi tali; nominato vel innominato; principali vel accessorio, bonæ fidei vel stricti juris: siue ex delicto, eoque itidem vel vero vel quasi. Nam ex his causis omnibus Creditores constitui posse, probari potest ex *L. 16. §. 1. ff. qui § a quibus manum:* nec inter hos Creditores, juris antichretici intuitu, statui potest differentia, siquidem omnibus hisce atque singulis debitor promittere potest usuras pignusque dare, quid ni igitur jus, quoque, antichreticos concedere?

§. XIII.

Dubium tamen exoritur de Creditore, cui aliquid in diem debetur. Ast cum tali etiam iniri pactum antichreticum posse, frustra quis dubitaret, si pactum istud demum inciperet vim suam exerere à tempore, quo dies cessit,

cessit, nam si re oppignorata frueretur Creditor antequam dies cessisset, usuraria pravitas satis manifesta esset. Adhibita autem modo dicta limitatione pacto antichretico futurum inter Creditorem atque debitorem locum esse, nihil obstat: quamvis enim dies exactionem suspendat, obligatio tamen etiam ante diem praesens est, & verum constituit Creditorem, *L. 10. de V. S. FRANZK. Exercit. 10. qu. 2. BACHOV. ad TREVTL. Vol. II. Disp. 27. th. 6. lit. C. cui adeo uti pignus tradi, ita etiam procul dubio illius usus concedi potest.*

§. XIV.

Datur autem duplex pactum antichreticum, aliud expressis aliud tacitum. Illud est, quo verbis expressis convenitur, ut Creditor rei pignori tradita fructus in vicem usurarum percipiat, donec debitum sit solum, *L. 14. § 17. C. de usur. L. 6. C. quod cum eo qui in al. pot.* Et hoc iterum dividitur in determinatum & indeterminatum, illo nimirum Creditor non omnes omnino fructus, sed certam solum eorum quantitatem concessam habet ad modum e. g. semissium vel etiam quincuncium usurarum; in indeterminato est contrario simpliciter omnes omnino fructus ex pignore percipiendi in vicem usurarum Creditori cedunt. Tacitum autem pactum antichreticum est illud, quod ex praesumpta Creditoris & debitoris voluntate elicitur, quoties nimirum debitor pecuniam simpliciter & absque ulla usurarum promissione creditam accepit. Creditorique rem fructiferam pignori dedit, absque fructuum reservatione, tum enim praesumit ICTVS PAVLVS in *L. 8. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth.* debitorem tacite consensisse, ut Creditor in compensationem beneficii mutationis pignore utatur fruatur.

§. XV.

Diffimulandum tamen haud est, CELEB. ICTVM HOTOMANNVM non sine magna specie suspicari hunc textum nostrum in mendo cubare, & in plane contrarium sensum ab ipso corrigi *Lib. I. Obs. 4.* dum negationem librorum

rum culpa omiffam putat, poftliminioque vel ante vo-  
 cem gratuita vel potest inferendam vult, ita ut legendum  
 fit: *Cum debitor NON gratuita pecunia utatur, (HOTTOM. le-  
 git VTEFVR) potest Creditor de fructibus rei oppignoratae ad mo-  
 dum legitimum usurarum retinere.* Rationes ipsius sunt,  
 quod primo confet gratuitam pecuniam eam dici, ubi  
 conventum est, ut debitor gratis ac sine usura eadem  
 utatur, hocque significatu innumeris in locis pandecta-  
 rum verbum hoc a Jctis usurpari, inde autem facile in-  
 telligi, eum, qui suam pecuniam eo pacto credidit, ut de-  
 bitor eadem gratis uteretur, fructus pignoris usura & an-  
 tichrefeos nomine retinere non posse: deinde non igno-  
 tum esse ex L. 4. § 22. C. de usur. tum demum fructum pi-  
 gnoris retineri pro usura posse, cum id nominatum pactum fit, at hic nullum tale interpositum esse, Latinam  
 orationem, qua Paulus utatur, ejus lingua peritis & in  
 ejus consuetudine exercitatis ostendere. Sed quod alte-  
 ram hanc rationem HOTTOMANNI attinet, ex all. LL. pro-  
 bari posse quod intendit, non nisi eo nimirum in casu  
 pignoris fructum Creditorem percipere posse, quo no-  
 minatum id pactum fuerit, vix ac ne vix quidem eidem  
 consentire possum, cum TEXTVS ALL. non sint concepti  
 de retentione fructuum, sed rei oppignoratae, ad extor-  
 quendas à debitore legitimas usuras. Prima tamen ipsius  
 ratio non mihi solum admodum plausibilis videtur, sed  
 jam olim talis visa est Viro magni, Criticos inter praefer-  
 tim, nominis, CLAVD. SALMASIO in Tr. de modo usurar. Cap. 14.

§. XVI.

Sed alii quos inter etiam est LAUTERBACH in Dissp.  
*de Jure Antichrefeos. Tub. 1694. habita, nimum quantum con-*  
 queruntur, quod hoc non fit interpretari LL. sed con-  
 rigere, in quem summe temerarium ausum pro merito  
 invehctus sit CONTIVS, tales correctores non leviter tradu-  
 cens in epist. ad Leff. ante Cod. quemadmodum & ALBERI-  
 CVS GENTILIS de tali facinore cuilibet cavendum esse gra-  
 viter moneat: *Tu itaque, inquit, ab isto caveas malo,*

Libro 1. lect. 3. epist. ad Jur. Civ. cap. 13. Imprimis verò HOTTOMANNO se opposuit CVJACIUS, in Lib. VIII. Obs. 17. ubi n. 25. vel exinde probare conatur, in illa L. 8. esse exemplum tacite antichræsticos, quod ipse titulus, qui est de tacitis pignoribus, id exigat. Verum enim verò quomodo à tacito pignore ad tacitum pactum antichræsticum argumentari possimus, nullatenus video. Ceterum cum HOTTOMANNVS eique consentientes se potissimum fundent in voce GRATVITA, respondet CVJACIUS l. c. n. 35. gratuitam pecuniam esse non tantum cam de qua convenit, ut gratuita sit, sed & eam de qua hoc non convenit, modo & de usuris nihil convenerit, nullâ autem lege hanc acceptionem firmare potuit, ut taceam illam esse contra usum loquendi, quis enim id diceret gratuito concessum, quod absque ulla gratuiti mentione alicui concessum est, ubique præterea præsumtio militat, gratuitam concessionem haud esse.

§. XVII.

Ut probabilem reddat suam sententiam LAVTERBACH & præsumtionis de tacite concessa fructuum perceptione fundamentum ostendat, ita rationes subducit; Debitor quidem eo ipso, dum accepta pecunia gratuita rem fructiferam Creditori pignori tradit, principaliter hoc agit, ut securus sit Creditor, §. fin. Inst. de Oblig. que se contr. tacite tamen simul etiam Creditori jus dare censetur, ut ipse de fructibus illius rei aliquid, ad modum usurarum legitimum in compensationem beneficii retineat, plerumque siquidem accidit, ut extra id, quod expresse agitur, tacita quoque obligatio nascatur, L. 13. §. fin. ff. commod. atque hæc præsumtio in ipsa natura fundamentum habere videtur, quippe ex præsumptione natura quilibet gratus, nemo verò ingratus judicatur, TESSAVR. loc. cit. lib. 7. cap. 11. Ingratitudinis enim vitio nullum est detestabilius, utpote quod inimicum dicitur animæ, exinamitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, siccans fontem pietatis S. BERNHARDO  
iii



in cant. WESENB. I. Conf. 24. n. 12. GOEDDEYS in Vol. III. *Con-  
sult. Marp.* 28. n. 132. ast non video qui statim ingratitude  
notam incurrat is, qui gratuitam ab altero pecuniam ac-  
cipit, nisi is rei oppignorata usumfructum ei tacite fal-  
tim concedat: fieri enim potest, imo probabile est, apud  
animum huic constitutum esse, simili vel alio officiorum sibi  
beneficiorumve genere, enata occasione exhibitum sibi  
beneficium compensare & adeo par pari referre.

§. XVIII.

Creditor autem antichreticus rem oppignoratam pos-  
sidet non civiliter, sed naturaliter, *L. 11. §. 1. ff. de pign.* &  
*L. 33. ff. de pignor. act.* quamvis enim iuste possideat, tamen  
non opinione domini, sed pro alieno possidet, *L. 22. de  
noxal. act. L. 13. pr. ff. de usurp. & usuo.* unde etiam rem op-  
pignoratam uti capere non potest. Sed quaestio uti ab  
hoc loco non aliena, ita non satis expedita est, num Cre-  
ditor talis antichreticus, qui hoc titulo rem possidet im-  
mobilem, vi huius possessionis tanquam immobilium pos-  
sessor a cautione in iudicio prestanda liberetur, negativa  
tamen multis parafangis affirmativa praferenda, quam et-  
iam haud obscure probat JCTUS MACER in *L. 15. §. 2. ff. qui  
satisdare cog.* hisce verbis: *Creditor qui pignus accepit, possessor  
non est, tamen si possessionem habeat, aut sibi traditam, aut precario  
debitori concessam.*

§. XIX.

Loquitur quidem hic JCTUS non de Creditore anti-  
chretico, sed simpliciter de Creditore pignoratitio, nul-  
lum autem est dubium, quin idem dicendum sit de debi-  
tore antichretico. Usus enim qui hic accedit pignori, li-  
berationem ab illa cautione non operatur, cum nec usu-  
fructuarius ab illa cautione sit immunis, *d. L. 15. §. 1. in fine.*  
Et sane ratio, qua simpliciter Creditorem pignoratitium  
ab hac cautionis immunitate excludit, etiam in antichre-  
tico locum habet. Nulla alia enim causa, ob quam  
Creditor ab hac cautione non liberatur, quam hac esse  
videtur,

videtur, quod jus Creditoris, pecunia quancumque soluta, facile solvitur & extinguitur. ANT. FABER *ad d. L. 13. §. 2.* atque hæc ratio in antichretico non minus locum habet, quam in alio Creditore quocumque.

§. XX.

Coronidis loco etiam hoc annotandum videtur, quod Creditor antichreticus, vi hujus juris, fructus non ipso jure acquirat, sed percipiendo demum illos suos faciat, *L. 11. §. 1. ff. de pign.* quamdiu enim fructus pendent, vel alio modo cum fundo coherent, pars fundi sunt, *L. 44. ff. de R. V.* & adeo in dominio ejus, ad quem ipse fundus jure proprietatis pertinet, *L. 12. §. fin. ff. de Usufr.* ut vero Creditori acquirantur, actus requiritur perceptionis, ad quem non sufficit sola separatio. Nam si fructus sponte ceciderint, aut alius suo nomine illos separaverit, non prius Creditoris fiunt, quam ipse eorum possessionem nactus sit. Etenim fructus acquirat Creditor non ut b.f. possessor jure quasi dominii aut soli, sed ex concessione & voluntate domini, suo ipsius facto & perceptione, ad exemplum usufructuarii vel Coloni, quorum uterque fructus non nisi perceptione suos facit, *L. 12. §. 5. ff. de usufr. L. 13. ff. quib. mod. usufr. amitt. L. 25. §. 1. ff. de usur.* ACCURSIVS quidem Colono hoc casu plus juris tribuit, quam usufructuario, ejusque fructus fieri existimat, quocumque modo à solo separati sint, sibi que consentientes habet MYNSINGERVM & SCHNEIDWINVM: ast quod intuitu acquirendorum fructuum nulla inter usufructuarium & Colonom fit differentia, sed hæc æque ac ille non aliter quam percipiendo suos eosdem faciat, qui *L. 60. §. 5. ff. locati & L. 61. §. 8. ff. de fert. penitus* perpendet, vix quisquam dubitabit.

FINIS.





Erfurt, Diss., 1725-26

X 235 5902





4706

37

1726,16

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**PACTO**  
**ANTICHRETICO,**

QVAM,  
IN PERANTIQA ERFFVRTENSI,  
VNIVERSITATIS RECTORE MAGNIFICO,  
ATQVE PRO - CANCELLARIO,  
REVERENDISSIMO ET PER - ILLVSTRI DOMINO,  
DOMINO

**CHRISTOPHORO IGNATIO**  
**DE GVDENVS,**

EPISCOPO ANEMORIENSI,  
EMINENTISS. ARCHIEPISCOPI, ET PRINC. ELECT. MOGUNT. IN PONTIFICALI  
BVS VICARIO GENERALI, CONSIL. ECCLES. SIGILLIFERO ET SVFRAGANEO  
ERFORDIENSI, J. V. D. INSIGN. ECCLES. COLLEG. AD S. SEVER. CAN.  
CAPIT. ET SCHOLASTICO, ET REL.

INDVLTV ILLVSTRIS FACVLTTATIS IVRIDICÆ,  
SVB PRÆSIDIO  
DN. CONRADI WILH. **Streders**  
J. V. D.

JVD. ELECT. PROVINC. ASSESSORIS, PROF. PVBL. ET SENAT. ERFFVRT.  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQVE IURE HONORES ATQVE PRIVI-  
LEGIA RITE LEGITIMEQVE CAPESSENDI,

DIE II. DECEMBRIS M DCC XXVI.  
IN AVLA IVRID. COLLEG. MAJORIS, HORIS CONSVETIS,  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIET

**JOHANNES DAVID POERNER,**  
*Annemont. Misu.*

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogt.